

361

Essentiæ simplicitas aciem illorum omnem subter fugiat pariter & excedat. Id quod non minus graviter quàm ingeniosè insigni Profopopœiâ dudum depinxit Augustinus in Soliloquiis, hisce verbis: *Misi nuncios ad omnes sensus meos exteriores & interiores, sed responderunt, quod non intraisti (ô Deus!) per eos: Oculi dixerunt, si coloratus non fuit, non intravit per nos; aures dixerunt, si sonitum non fecit, non transiit per nos; nasus dixit, si non oluit, per me non venit; gustus dixit, si non sapuit, per me non introivit; tactus dixit, si corpulentus non est, nihil me de hâc re interrogas.*

§. 2.

Intellectus si concreatæ perfectioris sapientiæ adhuc coruscarret lumine satis luculenter, quantum pro apprehensivô hujus vitæ modulô sufficeret, Deum cognosceret; postquam verò factâ per lapsum privatione, plus quàm Cimmeriis tenebris est obvolutus, ista quoq; lux fuit extincta, ita tamen ut aliquid instar radii, licet per quàm exigui remanserit, quô DEUM esse, non penitus ignorare possumus. Radium dico non nudam Rationis aptitudinem cognoscendi DEUM, prout Timplerus cum sociennis, conata Principia negantes, falsò supponunt, nec ipsam intellectûs facultatem *νεπιστημι*, nec ideam impressam, nec dispositionem quandam, sed *ἐξω* à naturâ implantatam, Inter *κοινὰς ἐννοίας* referendam, quales sunt *νοήματα* tam theoretica quàm practica menti infixâ. Hæc five vestigia, five rudera, five leves quasdam reliquias imaginis divinæ, five cum Augustinô, lineamenta ejusdem externa nuncupaveris, nihil Pelagianum effuties, sicut nasutuli in Viris etiam magnis & cordatis Doctoribus cavillari non dubitarunt.

§. 3.

E duplici autem succrescit principio; prius *ἐμφυτόν* est five insitum, ipsæ nimirum notiones animo humano insculptæ, & post lapsum adhuc superstites, omni tempore ac locô cuiq; sponte suggerentes homini, esse Numen aliquod supremum. Quandoquidem Propositio hæc; *DEUS est*; æquè homini rectâ ratione utenti per se manifesta, ac illa; *Totum est majus suâ parte*. Hoc adeò infalli-